DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA,

De

PHILTRIS

VULGO

Von Liebs-Tränckern.

QUAM

DECRETO ET AUTORITATE

ILLUSTRIS AC GRATIOSISSIMÆ

FACULTATIS MEDICÆ IN ELECTORALI ET

PERANTIQUA AD NICRUM UNIVERSITATE,

PRÆSIDE

Viro Nobiliſs. Excellentiſs. Experientiſs.

DN. GEORGIO FRANCO,

MED. DOCT. ET P. P. DECANO SPECTATISSIMO ACADEMIÆ S. R. I. NATURÆ CURIOSORUM COLLEGA PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO COLENDO,

PRO

Impetrandis Summis in arte Medica Honoribus

Privilegiis & Inſignibus Doctoralibus,

Publicæ Philiatrorum Diſquiſitioni ſubjicit.

NIC. CASP. ELWERT, Werth. Francus.

Ad diem XX. Martij horis & loco ſolit.

Typis JOH. CHRISTIANI WALTERI, Acad. Typogr.

ANNO M DC LXXIII.

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO

CAROLO,

COMITI PALATINO RHENI, ELECTORALIS DIGNITATIS HEREDI, DUCI BAVARIÆ, &. &c. &c.

Domino meo Clementissimo,

Humillima adoratione hanc Inauguralem offero

Subjectissimus

NIC. CASP. ELWERT.

CAPUT I.

PROOEMIUM

& ἰνφιλατολογία.

VAstum sanè, & admirandum est, hoc de Philtrorum natura, causis & effectis mare, in quo si semel vela pandimus, longa nobis erit, & gravis fortasse ex concertatione perferenda navigatio. Quot enim Deus bone! dissentientium opinionum hic sese offerunt fluctus, quot in Magiæ logismo syrtes, quot in causarum investigatione scopuli, quot saxa? in quæ, nisi rationis gubernaculo quis regatur, facilè & cum aperto discrimine impinget. Verùm tam utilis & necessaria est hæc ipsa navigatio, ut ejus æstu etiam nolentes rapiamur: periclitemur ergò aliquantisper audaces & intrepidi arduam & gravem hanc provinciam, quæ sane maturum exigit ingenium, tersum & solidum requirit judicium, fluctuantes fortasse animos eriget, salutaris & prosperæ cujusdam stellæ fulgor. Argonautam habemus Numen divinum, ducem rectam rationem, comites atque daduchos Paracelsum, Helmontium, Exc. Horst, Joh. Beguinum, Tenzelium & singulos veritatis, & curiositatis studiosos. Age ergò jaciamus aleam! faciam periculum, quid valeant humeri quid ferre recusent. Etymologicum M. f m. 795. ait Φίλτρον δύναλαι παρὰ τὸ Φιλω βεβύσθαι εἶναι, καὶ ἀπὸ τοῦ Φιλῶ περιεπωμένη, Φίλτρον καὶ συγκοπῇ Φίλτρον. Latini hoc servato vocabulo insuper addunt amatorium, ut Plin. l. 25. c. 3. vel cum appositio, poculum amatorium, amasium, amoris illecebram, amo-

ris conciliandi organon adpellitant, Germanis dicitur ein Liebs-Tranck / ein Buler-Süpplein.

CAPUT II.

Quid ſit.

VULgò deſcribitur ſingularis quædam gratia, quæ inducit ad alterius amorem, vel ob commendatam corporis venuſtatem & dignitatem, vel ob actionum morumque comitatem, vel ſermonis feſtivitatem ac leporem. Hanc Galli ſua lingua vocant la belle grace d'une perſonne. Alii verò veriorem hanc malunt philtrorum deſcriptionem. Philtrum eſt pharmacum, quo homo homini amorem conciliat, aut conciliare audet. Pharmacum dicimus, tum quia veluti omnia medicamenta alterationem aliquam in nobis producit, tum, quia ut plurimum non aliter ac genuinum medicamentum, modo potionis, modo pulveris, & ſimili forma internè propinatur, aut externè adplicatur. tum, quia non rarò ex animalium, vegetabilium & mineralium regno, ut alia medicamenta præparatur: denique vocem *Φαρμακίας* pro omni veneficii genere, ad inferendam vel hominibus, vel brutis, vel plantis, quocunque etiam modo noxam, antiqui familiariter uſurparunt. Amoris conciliandi gratia propinati diximus, licèt intentioni rariſſimè reſpondeat effectus, vel quia ut plurimum modo illicito, neque cœlitus petito auxilio adhibeantur, vel quia legitimos conficiendi & propinandi modos ignorent, & ſic pro amore furorem ſæpius aut mortem ipſam eo celerius accerſant.

CAP. III.

De Materia in genere.

MAteria philtrorum ex qua conſtant, eſt alia Magica aut Diabolica & fit per incantationem. alia naturalis Verùm quoniam impium & Chriſtiano indignum eſſet, ob evitanda ſcandala, atque præca-

præcavendum abuſum, materias iſtas apertè hîc proponere, ideò ſaltem obſcurè mentionem faciemus, quantum per conſcientiam eſt licitum, è quibusnam rebus iſta amoris pocula variis artibus & operibus componantur, ut ab hiſce quodammodo ſibi homo cavere valeat, Medicique ex cognitione cauſæ rectius curent.

CAP. IV.

De Materia Magica & ſuperſtitioſa

AMorem Diabolus per ſuas pediſſequas, veneficas, diverſis generare modis prætendit, in quarum caſtris quoque militant ſcortatores, ſcorta, & laſciva corpora exco amoris æſtro percita: modò enim ſolis utuntur verbis, ſignis, characteribus, cantionibus, ceremoniis, imaginibus, imprecationibus, invocationibus, adjurationibus, conſecrationibus, devotionibus, faſcinationibus, idque pluribus modis, modò dicta ſigna vel recitant, vel inſcribunt corollis, annulis, armillis, amuletis, clavis, acubus, præprimis ceræ, quam antiqui liquefaciebant, interim æneum globum circumagentes, ſimul precando murmurantes: Sicuti ego hanc ceram liquefacio, ita ſtatim præ amore liquefiat ille N. N. cordi meo chariſſimus, & uti volvitur hic æneus orbis, ſic ille volvatur ante fores noſtras, ſic apud Theocritum & apud Virgilium Ecl. 8. legere eſt: (Limus hic ut dureſcit, & hæc ut cera liqueſcit, uno & eodem igni, ſic noſtro Daphnis amore (Et apud Ovidium] devovet abſentes, ſimulacraque cerea fingit, & miſerum tenues, in jecur urget acus.) Hoc pacto legitur in vita S. Hilarii Abbatis, quòd in civitate Gaza quidam juvenis, puellam honeſtam ardenter deperiret, qui cum illam in ſuam voluntatem adducere non poſſet, à Magis, qui in civitate Memphis, in templo Æſculapii ſacerdotum officiis fungebantur, remedium petiiſſe fertur, à quibus laminam accepit horrendis quibusdam characteribus inſcriptam, quam ex illorum conſilio in limine domus puellæ abſcondidit, protinusque in tantum amorem &

concupiſcentiam puella devenit, ut eundem juvenem alta voce continuò compellare cogeretur. Diabolici iſti ritus cum Ethnicis non deſierunt, ſed ad illos quoque, qui Chriſti nomen profitentur, ſunt derivati; (turpe quidem & horrendum dictu) quæ uſurpata & adhibita ſcriptores prodiderunt. Sic etiam pluribus herbis, animalium partibus, aut aliis rebus medicamentoſis naturalibus, ſigna nonnulla, aut verba, vel magicè aut ſuperſtitioſè addendo, ibutuntur.

CAP. V.

Materia naturalis.

MAteria philtrorum naturalis depromitur ex tribus illis regnis ex *Vegetabili*. Dioſcorides l. 4. c. 31. 32. 35. de Phyteumate, Leontopodio, & utraque catanance herbis, quod ad amatoria conducant ſcriptum reliquit: Lobelius ſtellam leguminoſam ad conciliandos amores, ſummis laudibus celebrari ait. Flaviam herbam. M Aurelius Imperator tradit. Epiſt. ad Antigonum, in Inſula Lethir. Arcadio ibi monte naſci, ac maximè ad amatoria valere, quod experimento comperiſſe teſtatur, ubi quendam ejusdem ſuco tetigit, in quo non prius, quam morte mutuus amor refrixit. Idem eſt de Antirrhino, quod philtris annumerat Port. Plinius hoc affirmat de Comos herba aliis caſſutha dicta. Quid dicam de herba quadam Indica Viva dicta, quæ tangere volentis manum, contractis foliis refugere, & tacta exſiccari ſtatim ac marceſcere fertur? quam pro conciliando amore, plurimum valere, Acoſta Indus ſanctiſſimè affirmavit. Hic mihi per indulgentiam Nob Excellentiſs. Dn. Doct Franci, P. P. & Facultatis Med. Decani ſpectatiſſimi arcanum quod alii eidem per experientiam aliquoties comprobatum aſſeverarunt enarrare liceat. Accipiatur odorum caryon integrum, circuletur per mineras mundi minoris, dein præcipitetur, ſtet in digeſtione Microcoſmica ſub umbra alarum, de quo tandem amaturo pro lubitu propinetur Hartmannus à quodam natutæ conſulto, accipiebat parum pulveris amatorii, quem paſſeri capto propinavit, unde factum, ut paſſer iſte perpetuus ejusdem

au:

aut adſidendò, aut advolando, voluerit eſſe comes. Ita D Lanoi curam expertus eſt juvenis aliquis, poſtquam ille à levioris notæ fœmina, pomum Citrium dimidium acceptum. horâ qu. etâ pomeridianâ comediſſet, quotidie poſtea ſub eadem hora, per horæ ſpatium, tanto deſiderio & anxio penitus amore in eam fe. mineam tum abſentem flagravit, ut hinc inde curreret, ac impoten animo, & anxiè eam complectendi cupiditate, coactus fuerit.

2. A vegetabili ad *Minerale* deveniamus. Albertus Magnus aquilæ lapidem, proprietate occulta amorem ut conciliare, & certè, quòd in lapidibus quibusdam hæc vis ſtupenda reperiatur, videtur probari poſſe ex quadam hiſtoria Imp. Caroli Magni, quam refert Petrarcha: ille Amaſiam jam mortuam perditè eum deperibat, ob Philtrum ex lapide, qui annulo inclusus, ſub Demortuæ lingua inventus, ſecum enim cadaver in cubiculo aſervabat Imperator, quod tandem à Coloniensi Antiſtite miraculo, & revelatione cognitum ut ſunt, exempto ab ore lapide à turpiſſimo illo amore & miſerrima vita liber factus eſt Imperator. Stobæus 1. Geneant. 12 Col 37. ſubdit: ſit veritas apud ſcriptorem, ſit fides apud lectorem.

3. Ex *animali* ſeqq. Omnes inquit Mizaldus te amabunt ſi cor Hirundinis tecum geſtaveris, & mulier perditè amabit à quo columbini cordis pulveres in potu vel cibo acceperit. De Iynge ſeu torquilla ave; quòd ad amatoria multum proſit, apud ornithologos legitur, quod & Langius in epiſt. annotavit. Ita Pindarus in Nemeis hymn. 4. ἴυγγι δέδεμαι θῆλυς Iynge trahor animo. Interpres addit ſequentia: Iyngem (ajunt) fuiſſe filiam, Echus alii Peithus, quæ cum amatoriis venenis incitaſſet Jovem in amorem Jûs, à Junone irata verſa eſt in avem, qua mulieres uti conſueverunt in amatoriis veneficiis, quemadmodum indicat Theocritus in pharmaceutria ἴυγξ ἕλκε τὸν ἐμὸν ἐς δόμον ἄνδρα τὸν ἄνδρα Per te Iynx meus ille domum vir quæſo trahatur: quò alludit Virgil. Eclog. 8. dum in ſingulis veneficiis repetit: Ducite ab urbe domum, mea carmina ducite Daphnin. Vnde accipientes eam, totæ cùpiam alligant, ac ſua canentes carmina circumvolvunt; addunt inſuper ſcholia, Venerem Iaſoni deditſe, hanc aviculam applicatam rhombo pedibus & alis crucem complicantem: vid Zwinger. vol. xix. l. 2. f. 1590. quidam Iyngem vertunt Motacillam, Verùm cùm hæc avicula

autoribus paulò major quàm fringilla deſcribatur, colore vario quæ linguam ſerpentibus ſimilem habeat, quippe quam in longitudinem quatuor digitorum exporrigat, rurſumque contrahat intra roſtrum, collum etiam circumagit in adverſum, reliquo quieſcente corpore modo ſerpentum, ungues ei ſint grandes, voce autem ſtrideat mihi potius videtur zu Teutſch ein Windhals, Lat. torquilla.

Huic accenſetur os de rana viridi, in formicarum acervo exeſa. ſiniſtri enim oſſis contactu amorem, dextri verò diſſidium excitari tradunt, item extremus pilus caudæ lupi, cerebrum aſini, uterus hyænæ, virga lupi, remora, rubeta, ſudor & ſanguis menſtruus cum ſanguine lepotino Borell. cent. 1. obſervat. 65. ait: ſunt qui ſanguinem humanum, ſunt qui ſecundinas baptizatas, ſunt qui Hippomanes philtrum jam à pluribus decantatum adhiberi jubent. & plura alia quæ pudor vetat dicere, ut taceam multa, quæ extrinſecus corpori adhiberi jubent, nam præter mixturas ex herbis, foliis, radicibus, metallis, reptilibus plumis, membris Avium, piſcium, animalium, expetunt ſcorta & Malefici pilos, ceu exemplum habet Harsdorff im Schaupl. Cent. 2. §. 11. p. 42. ſeqq. unguium reſegmina, faſcias aut Veſtimenti partem, & ſimilia, quibus maleficandum corpus tangant.

CAP. VI.

An agant ?

NEc oportet in his recenſendis multùm immoremur, cum paſſim apud complures legantur. Sed quod magis eſt inquirendum, an & quomodo philtra, utrum in certam aliquam perſonam agere poſſint ? Quòd agant, quisquis ſagax ex antè dictis apprehendet, nihilominus ad rei majorem perſpicuitatem, in hanc verè Myſticam Magiæ partem lubet ipſius Paracelſi allegare verba: quòd illi qui ederunt aut biberunt aliquid à Scorto datum, in amorem alicujus conjiciantur & rapiantur; cauſa hæc eſt, quod ſimplicia quædam exiſtant à nobis hic minimè enumeranda, quæ illam in ſe vim habent, quæ ſi viri fœminis, aut hæ illis propinent, amor indiſſolubilis & pertinax inducitur. Simili opera canes

nes & pecora ad eorum amorem coguntur, qui medicinas iſtas præbent. Sic etiam Helmont. in tract. de Magnet. vuln. curat. n. 2. p. 731. ait, Novi Herbam paſſim obviam, quæ ſi tetigatur & manu foveatur donec intepuerit, mox alterius manum detinueris, quoad & illa intepeſcat, ille continuo tui amore ardebit per aliquot dies. Detinui, pergit, pedem catuli, hic confeſtim me peregrinum ſecutus eſt adeò, ut noctu ante cubiculum ejularet.

CAP. VII.

Quomodo agant?

NUnc diſquirendum venit, quomodo agant dicimus indirectè & alio modo quam voluntatem movendo. Dæmonem poſſe aliquem in alicujus amorem trahere. Lubet hic allegare verba Paracelſi tract. 1. de morbis amentium c. 5. p. 497. His modis fœminæ nonnunquam viris quid præbent, à quo exculsâ ratione, eò amoris præcipitantur illi, ut, nil quicquam, meditentur, quàm amorem earum fœminarum, à quibus datum pharmacum acceperunt. Vnde noſtrates dixere Es kan nicht anders ſeyn / Sie muß ihm die Liebe haben zu eſſen gegeben. Poteſt ergò Diabolus, vel intra corpus humores & ſpiritus movendo, vel venereis medicamentis, aliter à maleſico propinatis, totum corpus interius quatere, accendere, ac imaginationem perturbare? adeò, ut quis Dæmone variis tentationum illecebris in cetius certante, æſtro quodam libidinis turgeat, ac ſic facilè ad deſiderium carnalis copulæ trahatur; quòd ſi tunc temporis maleficus amator accedat, vel à Dæmone feratur, artibus quibus mulieres decipi ſolent, inſtanter urgeat, & à tentatore phantaſia unâ moveatur exhibendo talem hominis ſpeciem & circumſtantias propter quas amore dignus videatur, facilè accidere poteſt, ut diabolico hoc hamo trahatur, aut in appoſitam Naſſam præda cadat. Et cùm vulgus inter actiones voluntatis & concupiſcentiæ diſcrimen non advertat, inepte Dæmonem voluntatem trahendo hoc peragere poſſe credit, cùm in illam nullam potentiam aut actionem habeat, ſed prædicto tantùm modo

hæc

hæc plerumque machinetur, imò turpi Veneris deſiderio ineſcati volendo renuunt, & renuendo volunt, hinc Catullus:

Odi, & amo, quare id faciam, fortaſſe requiris?
Neſcio, ſed fieri ſentio, & excrucior.

Ac tandem committunt, faces aſſidue Diabolo miniſtrante, dum phantaſiam aſſidua Veneris meditatione excitat, ex alicujus objecto, quod perſuadeat amore dignum, ut proſequamur: aut corporis humores calidos ad coitus membra transmittendo, vel eosdem calidis & turbulentis Medicinis, circa eadem loca diſturbando, ſicuti alimentis adaugendo. Hoc ſenſu Kyranus perdicum ova in cibum ſumpta amatorium poculum vocabat Quocirca pocula iſta Circæa & Venerea vel prorſus eſſe Magica, vel ex accidenti ſaltem interdum auctorem voti ſui compotem reddere pronuncio. Amœniſſimis quidem variorum autorum floſculis exornari iſta omnia poſſent; veniam tamen mihi dabitis, ſi levi ſaltu ea omnia transvolem, & ſumma rerum capita digito ſolummodo attingam cum mihi non ſit animus integrum de philtris conſcribere tractatum. Vobis ergò ſevero judicii examine penſitandum relinquo. Alium jam naturalem ſanè admirandum Tenzelij in Medicina ſua diaſtatica propoſitum modum, quem ſequentibus quibusdam exemplis explanat:

„Quandocunque ergò contingit, quòd vir quidam alterius viri a„micitiam & favorem ſingularem expetat, tum is ipſe qui eo deſi„derio flagrat, proprii corporis terram Magneticam ſumat, adhi„bendo illam ſingulis trium principalium membrorum emunctoriis, „motoque corpore, ſudor provocetur, ſingulam terram Magneti„cam ſeorſim retinendo. Poſtea in eam, quæ Cerebri Mumiâ do„tata eſt, mixtam cum pauxillo terræ recentis & fœcundæ, ingere „ſemen origani, Baſiliæ, vel ſpicæ, aliarumve cerebro dicatarum „herbarum, creſcant ita ſub dio, & cerebri ſpiritus ita transplanta„bitur, eumque planta ſubjecta mirificè vegetabitur. Similiter ter„ram Magneticam cordis mumia nobilitatam ſeorſim colloces, cum „terra ſimplici & pura, inque eam herbas cordiales ſemines, „puta Meliſſam, Borraginem, bugloſſam vel ſimilia. In „illam tertiam verò, quæ hepatis ſpiritus hauſit, itidem cum terra

ſimplici

ſimplici antea mixtam inſere hepaticas, ſpleneticas, nephriticas plantas, & pariter ſpiritus eorundem membrorum in easdem ſe recipiet. Has trinas plantas ac fructus in cucurbitam miſceas, ex traliendo ipſius eſſentiam, beneficio Spiritus Vini, quam ipſam eſſentiam alteri, cujus favor expetitur, exhibeas in quocunque poſſis veliculo, quo facto ſpiritus mumialis extractus, ſtatim in appropriata loca fertur, iisdem homogeneus & amicus redditur, fit inde eadem utrique mens, idem animus in omnibus, idque propter illam concordantiæ unionem: Itidem tribûs illis mumiis, hoſtes vel inimici placantur, quamobrem in id annitendum erit, ut mutua concordantia fiat, & idem uterque patiatur. Hic ipſe Mumiæ uſus ad mutuum amorem inter conjuges conciliandum prorſi admodum affinis eſt, hoc tamen notandum, quòd ſi maritus uxori ſuam paret Mumiam, loco herbarum Renibus dicatarum, uterinas eligere neceſſe. Nec cuilibet aditum ad hoc myſterium facimus, nec illotis manibus id tractari volumus. Hic alii breviorem viam, tanquam certiſſimam proponunt, quâ conjuges maximè invicem infenſi, mirè in gratiam redire dum cæco quodam, & plus quam vatiniano inter ſe laborant odio. Adminiſtratur ſe. phlebotomia ex utrâque parte, ſanguis hic invicem permiſtus, deſtillatur per cucurbitam, cum appoſito amplo recipiente, unde nobiliſſimus & efficaciſſimus quidam ♎ ad reconciliandum. Vultis porro, ut dicam de Philtris naturalibus, quid mihi videatur, & quomodo vires ſuas interdum exſerant. Pocula iſta amatoria admixta plerumque habent, actia aut maligna, cerebro maximoperè infeſta, & quod ſæpe uſu venire judico, magicis incantationibus, characteribus &c. intellectus hominis impeditur, judicium pervertitur, quo facto homo non poteſt eligere aut fugere quod ſalubre aut evitandum, ſed cæca fertur cupidine nec audit currus habenas, hinc philtra ſæpe conciliant amorem inter eos, inter quos antea maximum creſcebat diſſidium, quippe judicii dexteritate adhuc pollens averſabatur illum, cujus amore cæco jam rapitur, inde, quod intellectui jam depravato eundem valide impreſſerit. videas enim plerosque ab hauſto philtro in delirium, maniam lethalem præter propinantis exſpectationem incidere? denique animi παθήματα, maximam obtinent vim in turbando & depravando intellectu. At vero quis amorem neſcit baſin

& ſententiam omnium quotquot in humano corpore reperiuntur affectuum ? quid mirum ergo , ſi ratio & intellectus diſtrahitur , pervertitur , corrumpitur,hominem illud appetere , quod antea averſabatur ! Hinc rarò amorem ex philtris concitatum , videas ſtabilem. Quamprimum enim ad ſaniorem mentem redeunt ægri illicò antiquum obtinent , & cane peius illos oderunt à quibus pocula hæc amatoria propinata. Nullus jam dubito benevole Lector , quin cuivis conſtet ex iis quæ hactenus dicta ſunt , quomodo agant , quanquam neminem eſſe autumo, ſive Archimedis ſolertia aut Hermetis ſubtilitate , aut Coi noſtri ſenis diligentia in inquirendo , aut Philoſophi Stagiritæ judicii dexteritate in judicando ſit dotatus , qui alium dari poſſe modum glorietur , uberiorem iſta exigunt , ut videtis explanationem : ſed quia ea quæ poſthac dicturus ſum non parum lucis his omnibus allatura ſunt , ideò iſtud paulò altius mente veſtra recolendum appono. Nimirum

CAP. VIII.

An in certam perſonam agant.

STent alii pro Affirmativa , perinde fore puto , ſive ad peculiaria atomorum aut ſpirituum effluvia , magnetiſmos , mumias ſpirituales aut fermenta recurrant , Ego ut meras fabulas , & vaniſſima Diaboli Commenta,ex omnium mentibus meritò eradicanda præcipio , & tanquam firmum ac certum ſtatuo , nullis philtris , nullis poculis , aliisque pharmacis , humana curioſitate inventis alicujus animum cogi poſſe, ut certum aliquem amet. Hanc veritatem innumeri ſunt,qui comprobant Auctores. Quippe voluntas,propter arbitrii libertatem nullis verbis aut Magicis artibus cogi poteſt. objectum enim ſolum ſenſum movet, ſenſus intellectum, & is appetitum, 2.ſi philtris amor induci poſſet , etiam nunquam viſa , nec cognita in amorem trahi potuiſſent , nec rei amatæ aſpectus foret neceſſarius , quod experientiæ repugnat , videmus enim Principes effigies ſuas ad abſentes amaſias transmittere , ut ſic amorem facilius ingerant,ignoti enim nulla cupido. Tertio ſi philtra in certam agerent perſonam , omnes hoſtes & diffidentes Principes

facili

facili negotio ad pacem inter ſe conciliandam perducerentur, ſiquidem parvo hoc labore, concordiæ & amicitiæ vinculum facilè foret invenire, ac tot hominum, tot regnorum ſtrages & ruinæ evitari poſſent. Ecquæ nam Herbæ, quod Pharmacum, tantam naturali vi efficaciam obtinebit, ubi locorum provenit illa, aut tale medicamentum, quod liberum arbitrium quoquo verſus inflectat & cogat? Sanè non levis videtur amentia! Minimè ergò Diabolus in voluntatem hominis agit, cujus poteſtas in tentatione ſolùm verſatur. Apoc. c. 2. cui homo per gratiam ſe poteſt reſiſtere ut teſtatur Apoſt. 1. ad Corinth. c. 10. Satis ſuperque mihi jam videor opinionem meam rationum fulcris ſtabiliviſſe, quò tamen veritas magis eluceſcat, elidenda veniunt graviſſima quædam fulmina, quibus in nos detonant illi, qui contrarium tuentur. Agite Amici Lectores, favore veſtro mihi aſſiſtite, ſic abſque Alexandri alicujus machæra nodos hos gordios me diſſecturum confido. Ac prima ſtatim fronte, illud neminem percellat, quod ingerunt de ligatione vulgò Meſſel knüpffen / dum per media illicita, alicujus potentia generandi impeditur, deteſtandum eſt Diaboli inventum. Nec eſt cur prætendant ſympathiam quandam philtris inſitam, cujus beneficio, pectora odio invicem ardentia reconciliantur. Quæ enim eſſe poſſet ſympathia inter characterem, inter imaginem ceream, inter hoſtiam, inter ſecundinas &c? numquid ſympathia rebus naturalibus eſt innata, quis auſit affirmare? ſympathia ſemper eodem agit modo; ſic ferrum ſemper uno modo à Magnete attrahitur &c: Philtrum non item, quin ratò exitus voto reſpondet. Non deſunt qui admodum triumphant in eo, cura Magnetica poſſe transferri quosdam morbos in canem aut porcum, ſi ſanguis ægri teſtæ ovorum includatur, putreſcat, & beſtiæ abliguriendus præbeatur. Hinc evinci poſſe autumant, ſi philtrum ex ſanguine amantis concinnetur & amato propinetur, facile vi ſympathica cruorem illum amorem inter eos conciliaturum. Sed alia eſt ratio morbi corporis, alia affectus animi, illum communicari poſſe largiar, hunc autem minimè; denique optimè ageretur cum illis quibus domi Junones iratæ aut Xantippæ (proſerpinæ potius) latrantes & mordentes. Ultimò evinci poſſe autumant. Si ſimia & vipera, aliæque beſtiæ, inter quas tamen maximum aliàs gliſcit odium, beneficio philtrorum ex ſan-

guine proprio concinnatorum eò poſſunt pertrahi, ut amica pact coeant, & ceu fœdere juncto, altera alterius converſatione atq; præſentia impensè delectetur, ſi hoc quidni & inter homines; ſed quid reſpondeam habeo, nec ratio iſta tanti eſt valoris apud me ut à conceptâ mea ſententiâ abducar. Amor inter homines ex intellectu proficiſcitur, qui amaturi ratiocinantur ſecum, An & cur alter amore dignus? bruta verò cæco feruntur amore non ex ratione, ſed ex ſenſibus externis, qui brutis conceſſi ſunt acriores. Hinc dum propinquo viperæ ſanguinem ſimiæ, quamprimum altera alteri appropinquabit, ſeſe invicem amabunt, quia olfactu percipiunt, alterum de alterius ſanguine participare.

CAP. IX.

Quæ ſit Pœna & noxa Philtrorum.

NEc noſtra ſolùm eſt hæc opinio, philtra eſſe deteſtanda, ut plurimum eſſe ſuperſtitioſa, eſſe magica, eſſe viro bono, præſertim Medico Chriſtiano nomine gaudente indigna, eſſe eadem proſcribenda, & ad Garamantas & Indos ejicienda, ſed & Clariſſimorum Juris Conſultorum decreta à meis ſtant partibus qui non aliter, quam pœna capitis puniri decreverunt eos, qui ſimilia pocula propinare audent, ſi in necem aliquem adducant, ſin minùs relegationis in nobiles, vilioribus in metallum pœna conſtituitur, ut in l. ſi quis aliquod §. 5. D. de pœnis l. nemo aruſpex. 6. de maleſ. & math. Licet hodie ad Judicis arbitrium redacta ſit, ut Grillandus de Sortileg. Binsfeldius, Menochius ſcribunt, quoniam amoris delicta mitius punienda, & à pœna ordinaria excuſanda, ut teſtatur Ant Gomez. Pancirollus memorab. part. 1. tit. 16. & ex Med. Paul. Zacchias. l. 2. tit. 1. quæſt. 10. apud quem plures alii citantur. Ad Garamantas proſcribenda eſſe philtra diximus quod magis furerem amatorium, maniam, Melancholiam, quam amorem in ò ipſam mortem inducunt. Vnde Ovidius: nec data profuerint, pallentia philtra puellis. Philtra nocent animis, vimque furoris habent.

Hic

Hic ſane non tacendus eſt Carol. IV. Imper. caſus, quem refert Matth. Vilanus, quippe illius uxor Adolphi 3. Ducis de Cleve filia, cum maritum in maximum ſui amorem trahere conaretur, nullum damnum aut periculum cogitans, ſimplici animo illi potionem parari fecit, quâ aſſumptâ, morti ſuccubuiſſet Imperator, niſi citò ac ſubito remedia obſtitiſſent, & non niſi pilis orbatus & fœdo corporis habitu evaſit, plura exempla apud Schenck. invenies. Et certe ſatis mirandum illud, quod Henricus ab Heer obſ. 13. p. 175. habet. Puer, enim tenaciſſimæ memoriæ ab epoto philtro, ita amittebat eam, ut proprii oblivisceretur nominis, fraternique, adeoque rerum omnium literarumque rudis fuerit, ut nec verbum latinum perceperit. &c. Sic de alio Balduinus Ronſæus, cui ardens amaſia, ut remorantes nuptias properaret, nihil mali imprudenter cogitans, philtrum propinavit, quo in lentiſſimam mortem, paulatim nullis proficientibus auxiliis eundem deduxit. Eodem quoque infortunio vitam finivit inſignis ſpei adoleſcens, Petrus Lotichius, quem Bononiæ Circæo poculo miſerrime interfectum, ex Georg. Fabricio narrat Freitagius. Theologum prope urbem Caſtrenſem à philtro Menſtruorum mulierium cum lepotis ſanguine in condimento ſumpto, tanta mania correptum, ut proprium occideret Pattem meminit Borell. Cent. 1. obſ. 65. Hinc merito Politianus.

Hic qui philtra bibit, nimioque inſanus amore
Mox ferro occubuit, ſic mentem amiſerat omnem.

CAP. X.

De Signis.

Mihi pergendum ad curationem, cum autem curationis initium ſit Morbi cognitio ſ. ἀρχὴ γὰρ γνῶσις, ἄρχα διαγνῶναι, in ſigna Diagnoſtica ut inquiramus neceſſe eſt; Amor ipſe non adeò difficilis eſt cognitionis, cùm enim quidam, aut planè inconſueto, aut vehementiori impetu, vehitur in alterius, non tantopere antea amatæ deſiderium, in illiusque favorem & præſentiam magis an-

xiè, quàm antea fecit aut naturaliter fieri ſolet, inhiat, tunc aliquid extranei latitare hariolamur, & concludimus. vid. Sennert. Lib. 1. Med. Pract. p. 319. Huc facit Propria & genuina ægroti confeſſio, ut & aliæ circumſtantiæ.

Quod ad Prognoſtica, in Principio quidem, ſi altas nondum egerit radices, aut tolli, aut corrigi poſſe, ſi non ſemper tamen ſæpiſſime, præſtabili remediorum ſpecificorum efficaciâ, Divinâ ſimul in auxilium vocata benedictione audacter affirmamus. Nec ubi in maniam aut rabiem devenerunt, deſerendos judicamus, ſed illis adhuc dum adſiſtendum, cum aliquando monſtra fiant in medicis curationibus, & dubium auxilium certæ deſperationi ſit anteponendum. Verum cum antea deteſtati ſimus Diabolica iſta obtinendi amoris adminicula, ita multo minùs jam iſtius imploremus opem & operam, niſi enim ille nequam corporis aut animæ noſtræ aucupetur incommodum, nihil boni reverâ talis expectare licet.

CAPUT XI.

De Curatione.

Miſſis ergo hiſce, potius ad Cæleſtem noſtrum confugiamus amorem, & invictis precum, atque naturalium remediorum armis muniti, hoſtes iſtos adgrediamur. Prius autem quàm ipſam accedamus curandi Methodum, univerſalia eſſe præmittenda judicamus, ut ſic expurgatis, primarum viarum excrementis, Archæus noſter per ſpecifica & alia eo melius, operari, expellere, & corrigere malum poſſit. Primum calculum merentur *Vomitoria*: Quam primum igitur vel leviſſima alicujus dati philtri oboritur ſuſpicio, ad utilius auxilium, quàm ad vomitorium confugere non poſſumus. Præcipua hic ſunt ex ℥io parata. v gr. infuſio vitri ℥ij quæ filtretur per chartam Emporeticam, ne aliquid de nimis efficaci ℥ij ſubſtantia ſimul tranſeat. Flores antimon. correcti. Crollii Baſilic. chym. p. 133. Aq. Benedicta Rulandi à ʒ ſs. ad ℥i. Mirè hic etiam valet aurum vitæ. Gaſp. Kegleri tartar. emet. Mynſichti, ſal. vitriol. vomit. ℈. Aur.

℞ Aur. vitæ gr. ij. ℞ tartar. emet. Myntticht. gr. viij.
Conſerv. roſ. ℈j. m. St. Brech-Saltz.
St. Brechender Bolus.

Per alvum evacuandum pro diſpoſitione materiæ vel propter anguſtiam pectoris, cùm in nonnullis perſonis, vomitoria adhibere non liceat, præcipuè autem convenit, quando jamdum Mania, Melancholia &c. ex phlitro adeſt.

℞ fol. Senn. ſ. ſt. ʒiij.
Rad. Helleb. nigr. pp. ʒiß vel ʒij.
flor. hyper. pug. ij.
buglo ſſ.
borrag. ana ℈j.

Infunde in ſ.q. aq anagall. & flor. hyper. ſient in infuſ. per noct. mane fiat expreſſ. colaturæ adde Syrup. de pomis laxativ. ʒß. Tinct. tartar. antimoniat. ʒß St. Purgier-Tranck vor einmal.

Cum autem natura ad vias urinarias vergere tendit, cautus Medicus eam adjuvet neceſſe eſt. Sic Heinr. ab Heer teſtatur, varia ſtupenda viis hiſce urinariis eſſe excreta. Sequuntur *judicia* ut illud Veneni, ob materiæ noxiæ in vaſa erumpens, antequam in viſceribus pedem figat nobilioribus, per cutis poros expellatur. Valde hic convenit ſpiritus & tinctura theriacalis, tinct Bezoardica ſpiritui ſecundinæ mixta. Hic monere volui, omnia medicamenta repetitis vicibus eſſe exhibenda, nec deliſſendum aut omninò deſperandum.

℞ Tinct. Bezoard. ʒ℈.
Ø ſecundin. ʒß.
St. Schweiß-eſſenz auff einmal. iteretur.

Præmiſſis igitur præmittendis, Medico phlogmatico deveniendum ad ſpecifica & alterantia, qualia ſunt ſecundum multos Hypericum, tota ſubſtantia Diabolo & ejus affectis reſiſtens, adianthum, baccæ herb. paridis, thamnus, thapſia, ſcilla, verbena, coralliæ, centaurium, ariſtolochia, marrubium, ſalv. anethum &c. Inter alia plura peculiariter hic prodeſt, urina equi jam jam excreta, & calida pota; ceu duobus exemplis comprobat Salmuth. Cent. 1. obſerv. 20. quorum alterum valdè notabile hoc eſt. Nobilem præcipuum Filia Hoſpitis cujusdam Hallenſis deperit, abeuntique pro-

mum

mum pulcherrimum offert. Illi ſuſpectum eſt hoc donum, ac projicit in die Hafftet / poſtridie recordatur illius, adſpicit, tum illud prorſus nigricans apparet; Expectat per aliud triduum, tum ranulas perſlutes ibi reperit Redit ergò in hoſpitium illud, morbum ſimulans, & ingentia tormina; Virgo lacte calido uti jubet, ille iſtud ranis affundit, quod ubi avide aſſumunt, paulatim increſcunt; Ille verò indies majores cruciatus ſimulat, unde Virgo miſetta, jubet urinam equinam jam jam excretam, & adhuc calidam ebibere, quam itidem ranis affundit, quæ moriuntur. Sic pulvis Contrayervæ amatoria pocula educit. Monardes ſimplicium ex novo orbe delatorum p. 340. & Schröder. phar. l. 4. p. 50. Langius ſummoperè laudat tinct. & eſſent. vener. ſp. vitriol. ven. & omnia Medicamenta ex ven præparata.

Ante omnia autem laboret Medicus in cauſa inveſtiganda materiali, an ſc. Solis ſignis magicis & ſuperſtitioſis, an vero rebus naturalibus v.gr. ſanguine menſtruo, ſemine, urina &c. iſta Mania aut Melancholia ſit producta, ſi à priori ſuſpicio oboritur, adhibeat ſpecifica, ſi à poſteriori, his admiſceat v.gr. ſi à ſanguine Menſtruo, menſes fortiter pellentia, ſi urina mediante, det fortia diuretica vid. Paracelſ. tom. 1. tract. 2. c. 5. de morbis amentium.

Quando autem jamdum in contumacem degeneravit maniam amor, aut Melancholiam, tunc ſpecificis admiſcenda alia, contra hoſcè adfectus pugnantia. v.gr. tinctura lapid. lazuli. eſſent. anagallid. ſanguis Aſini vel muli, flor antimon. Finckii &c. ℞. Aq. anagall. Hyper. ana ℥iij. Confect. alkerm: ʒiß lapid. lazul. pp. ʒi. Syrup fl. tunic. ℥i. Sr. Stärck, Trähnklein zu weilen 1. Löffel voll wol vmbgerittelt zu nehmen. Inter externa Goclenius de mirab: naturæ p 17. tanquam omnium efficaciſſimum refert, adverſus veneficia & incantationes, 1. ſi nuxavellana perforata Catoptro, ſeu ſpeculo caudæ pavonis, argento vivo repleatur, & cerâ obturato foramine, ſerico ineluſa collo ſuſpendatur. 2. Rec Sulph. Galban. faſæ fœtid. Ariſtoloch. hyper rut. ana ʒiij. f. l. a. ſuffumigium. ℞. Adiantini ſuo tempore collect ℥ß Medull. oſſ equin. catulorum adhuc lactent. ana ℥ß. ſangum. hirci, talp. ana ʒiij. butyr. è lacte equin ℥ß. viſci colurni ʒij. contuſ. & pulveriſ. m. ad Phialam, quam ſoli 9. dies cum expoſueris. Nobiliſſimum extrahes unguent.

Hic denique locum habet ipſa Phlebotomia ſi materia noxia, jamdum in vaſa copiosè ſit rapta, aut in Maniam & Melanch. &c. abierit,

abierit, aut plethora, vel alia indicantia adſint, non tamen nimis copiosè educatur ſanguis, cum certè conſtet, per hanc æque laudabilem, & ſpirituoſum, quàm craſſiorem & impuriorem exire ſanguinem.

Quòd ad Fontem Diæteticum cavendum, ut in rebus non naturalibus error committatur; aër ſit temperatus; Fermentum tam ſtomachi, quàm ſanguificationis, naturaliter ſeſe habeat; fugiat æger æeu peſtem, ebrietatem, animique perturbationes omnes: motus & quies ſunto mediocria; æger ad ſomnum paulò frequentiorem invitetur; Excreta & retenta naturalem obtineant vigorem.

CAP. XII.

FInem igitur huic noſtræ diſputationi imponendo, concludimus alterum amoris philtrum, corporis ſc. venuſtatem, & elegantem formam, quæ indirectè ab aliquibus philtrum appellatur, quod unico tantùm intuitu incautum, & nil tale cogitantem arripit, & amorem intimius defigit. Scita eſt Philippi Macedonis Hiſtoria à Plutarcho adducta, qui formoſiſſimæ puellæ amore delinitus, cùm Olympiæ uxori perſuaderetur; Regem non aliter quam veneficio, ſic deperditè in amorem puellæ devenire potuiſſe, illam ad ſe venire Regina curavit, qua tandem conſpecta, & gratiæ pulchritudiniſque Lenocinium admirata, abire juſſit hoc addens. Abeant Calumniæ, tu in te ipſa veneficium habes. Aliter ſic dixiſſe ferunt alii: Hæc eſt illa forma & gratia, quæ virum meum faſcinavit, & Deos quoque faſcinare poſſet Quod etiam de uxore Demetrii narratur quæ viſa Lamiâ ſcorto venuſtiſſimo, ſui conjugis pellice, illam in decoro vultu Regis veneficium geſtare, pronunciavit: Valeant inquit calumniæ, tu in te philtra habes. Hinc feſtiviſſimus Ovidius: Valeant Medëides herbæ.

Moribus ac forma conciliatur amor:
Sit procul omne nefas, ut ameris, amabilis eſto.

Hinc illa Symbola: Magnes amoris amor, philtrum vel poculum amatorium amor, Magnum ſatellitium amor, & Magnæ opes amor.

Imploremus: Amor cæleſtis nos amet omnes!

GEORGIUS FRANCUS, MED.D. PP. DECANUS

CLmo VIRO JUVENI

NICOLAO CASPARO ELWERTHO,

MEDICINÆ CANDIDATO PERDIGNO

S. P. D.

HOmo homini diabolus! *Ut taceam pocula abortionis, quibus vita ante vitam innocentibus eripitur, ut moreruntur, qui vixerunt nondum: Ut taceam varia venena, quæ gemmato frequentius propinantur poculo; ut terra corporis noſtri in terram violentius revertatur: Ut taceam veneficia & faſcinationes, quibus ulcera & vomitus criminum, vitrorum, cochlearum, paxillorum, ligularum, aciculorum &c. procurantur: peſſimum tamen malum ſunt* philtra, *dulce venenum, compedes mentis, oculorum laquei, & ſæpe ſalutis omnis ruina. Adeo verus iterum meus eſt* Seneca: Epiſt. 35. Qui amicus eſt, amat: qui amat, non utique amicus eſt. Itaque amicitia ſemper prodeſt: Amor etiam aliquando nocet. *Materia ergo hæc ob noxiam noxam, & malagravißima, gravißima eſt cognitu, curatu gravißima. Verum δύσκολα καλὰ! Recte facis* CLme CANDIDATE, *qui vires experiris Tuas in arduis. Terreſtrior anima gleba adhæret & ſerpit, cœlat cæleſtior. Et licet omne non excūtias, tamen*

—in magnis & voluiſſe ſat eſt!

Votum ſit Tibi mecum commune:

Cedat amaris amor; redamandus amore Amor alter:

Adſpice amatorem; cor ego, CHRISTUS Amor!

COſi fa chi da Febo ogni hor procura
A ſe gloria; e queſta è veriſſima coltura
Del animo; Rallegriamoci Dolciſſimo Fratello
Congratulandovi, montate ſopra di queſto gradello
Ad altri: Dio vuol che gloria celeſte
Vi ſegui, Cura maladie ben arreſti

In tal modo ſcrivevano voſtri fratelli

d' Argentina

PHILIPPO GIOCOMO }
GIOVANNI PHILIPPO } ELWERT.
GIOVANNI }

FINIS.